



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Loca Infesta,|| Hoc est:|| De Infestis,|| Ob Molestantes||
Daemoniorvm Et Defvncto-||rvm Hominvm Spiritvs,
Locis,|| Liber Vnvs.||**

Thyraeus, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1598

VD16 T 1247

Cap. LXXXI. An, & quomodo iuuentur purgandi Spiritus accensis Cereis &
Luminibus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61332)

erunt defunctorum Spiritus, qui easdem promiserunt? Hoc tertio loco explicandum est. Respondetur verò breuiter, quod res est, *Non semper fore miseros*. Nam cum pro qualitate delicti poena purgatorij sustineatur, tum demum ipsius erit finis, quando pro negligentia satisfactum erit, ex qua *Peregrinatio* debita intermissa est.

24. Quàm misera esset Spirituum conditio, qui ex hac vita descendunt; si requiem habere ante non possunt; quàm persoluerunt vota, ad quæ sese, cum viuerent, obstrinxerunt? Nonne aut perpetuò Purgatorij illis poenæ sunt subeundæ; aut omnibus facultas facienda, vt ad viuos redeant, & viuorum patrocinia implorent? Quis hæc credat?

25. Præterea nec iustitiæ leges seruantur, si mox vt *Peregrinatio* debita, à viuis, defunctorum nomine perfecta est, defuncti poena liberarentur. Etenim fieri potest, vt leui negotio *Peregrinatio* perficiatur; negligentia verò, propter quam intermissa est, maiorem mereatur poenam. Et rursum, laboriosa admodum sit *Peregrinatio*, negligentia autem, ex qua intermissa est, sit admodum leuis, leuique poena expianda. At iniquum est, vt grauis negligentia leui poena; & leuis negligentia graui expiatur supplicio.

26. Quocirca quemadmodum *Peregrinatione* viuorum votis horum Spirituum fieri potest satis; ita potest quibusque operibus pietatis, quorum sæpius mentionem fecimus. Quod si tamen quidam sint Spiritus, qui *Peregrinationes* pro se fieri postulant; non ita postulare credendum est; quasi aliàs ad optatam requiem peruenire nequeant: sed quod hinc plures rationes, quibus iuuentur, aliquando concurrant.

CAP. LXXXI.

An, & qua ratione purgandi Spiritus iuuentur cereis & accensis luminibus.

27. Purgandos Spiritus accensis cereis & luminibus iuari ex ipsorum circa mortuos usu, non immeritò quis suspicabitur. Neque enim hinc paruum est, neque simplex. Nam mox, vt animam exspirarunt, cadaueri nunc plures, nunc pauciores pro viuorum facultatibus apponuntur. Ornant deinde pompam funebrem. Superponuntur ipsorum sepulchris. Adhibentur sacrificijs, & orationibus, quæ pro ipsis, in Ecclesia diuersimodò, septimo, trigésimo, & anniuersario peraguntur. Sæpè etiam

extra

extrahat in defunctorum memoriam, nunc pro viuientium pietate: nunc ex defunctorum vltima voluntate, in templis, ad Dei honorem accenduntur.

Nec nostris tantum temporibus hæc obseruantur. obseruata quoque fuerunt præcis, & temporibus Maiorum: & quidem apud homines pietate, doctrina, sapiëntia atque nobilitate illustres. In funere B. Virginis *Cereos ardentisq; Faces*, prælatos fuisse, testatur Nicephorui lib. 2. capite 22. Refert Theodoretus, lib. 5. cap. 35. cucurrisse per pelagus, quasi per terram, populum Christianum: *Lampadibus & Cereis* omnia impleuisse; vbi que lætitiæ argumenta reliquisse; quando Beati Chrysostomi corpus translatum est. Gregorius Nazianenus, Oratione de laudibus Cæsarij, ad piam pompam, qua corpus fratris elatū fuit, putat pertinere, quod mater *Faces* gestarit *incensas*. Centurio, quem Diuus Petrus conuertit, moriens congregatis omnibus Christianis, cum presbytero Eunomio, cum *Cereis accensis* sepelitur; vt narrat in eius vita Metaphrastes, apud Laurentium Surium, die 13. Septemb. Meminit *Lampadum* atque *Cereorum* Beatus Hieronymus: dum illustrem Paulæ his verbis describit pompam, Tom. 1. Epist. 22. capite 13. ad Eustochium: *Paula*, inquit, *translata Episcoporum manibus & ceruicem feretro subiicientibus, cum alij Pontifices Lampades Cereosq; proferrent; alij choros psallentium ducerent &c.* De Constantino Imperatore hæc scribit Eusebius in eius vita lib. 4. *Cadaver*, inquit, *in capsula collocatum, & purpureo tegmine coopertum, Constantinopolim delatum est, & in basilicæ sub altissimis gradibus depositum, Luminibus super candelabris aureis circum circa accensis.* In sepultura Danielis Stylitæ (quem Zeno Imperator sui Imperij *Oraculum* dicere solebat) etsi in ipsa basi, & pede suæ columnæ sepeliretur, nec vsquam funus efferretur; tamen præsentente Euphemio Episcopo, stabant ex vtraque parte tumuli, clerici, qui *Faces* ferrent, & *Lampades* tenerent manibus; & ea canerent, quæ cani solent in decessu. Hæc in eius vita Simeon Metaphrastes. Sic cum *Cereis* terræ mandatū esse corpus Crotildis, Reginæ Francorum, testatur Gregorius Turonensis, lib. 1. cap. 4. *Historiæ*: quemadmodum cum *ysdem* corpus Regis Clodouei, eodem Gregorio teste, lib. 8.

Et si in hac re D. Augustini sententia locum habet, qua ad traditionem apostolicam illa refert, *qua in Ecclesia obseruantur: & à Concilijs definita & constituta non sunt, nec sacrarum Scripturarū auctoritate confirmata;* profectò hunc *Cereorum* usum ab Apostolis esse profectum

profectum, aut probatum, vel possumus credere, vel suspicari debemus. Quem enim alium horum primum authorem constituemus?

4. Sed profuntne purgandorum Spiritus? Existimo per sepe viuorum esse solatia, & quemadmodum pleraque alia pompam funebrem ornare. Esse etiam egregia monumenta, quæ viuentes de magnis rebus admonent. Esse pietatis argumenta, quibus viui amorem suum erga defunctos testantur. Denique purgandorum Spirituum aliquando grata subsidia & subleuamina.
5. Quando verò? Ex fine hoc eorum, qui Lumina constituunt, & Cereos accendunt, definiendum est; non ex ipsis cereis aut luminibus. Cerei per se ad propulsandas tenebras faciunt, quoscunque alios fines habent; pro hominum, nunc viuorum, nunc defunctorum voluntate sortiuntur: qui quemadmodum rebus adiaphoris omnibus, ita Cereis atq; Luminibus fines dare possunt.
6. Atque vt ad varias fines Cereos seruire velle possunt, variasq; ob causas accendere: ita possunt velle prodesse purgandis Spiritibus iis, qui hominum suffragiis iuari possunt. Quidni in pietatis studio proderunt piè in Christo defunctis; si cum viuentium sepe graui detrimento seruiunt in rebus profanis?
7. Veruntamen non quæcunq; hinc viuorum intentio sufficere videtur. Quid si simpliciter, vt defunctis profint, nulla alterius habita ratione accendantur? Cultus diuini hic rationem habendam existimamus, si prodesse illis debeant. vt quemadmodum Eleemosyna pro defunctis erogata, tunc defunctis prodest, cum in vsum cedit pauperum: ita tunc defunctis profint accensi Cerei, quando pro defunctorum incolumitate ad Dei cultum obseruandum, atque amplificandum accendantur.
8. Hinc est vt optime dixerit B. Athanasius, Sermone in eos, qui obdormierunt (citatus à Damasceno in sermone, Quod qui in fide hinc migrarunt, sacris operationibus, & viuorum beneficiis multum iuuentur) tum plurimam retributionem habere, & defunctis prodesse Oleum & Ceram; quando holocausti rationem induunt. Verba eius hæc sunt: Si quis, inquit, diem obierit, licet in aerem deponatur inhumatus, ne omiseris Oleum & Ceram, inuocato Christo Deo, ad sepulchrum accendere. Accepta enim sunt Deo, plurimamq; secum referunt retributionem Oleum enim & Cera holocaustum est. inuenta autem hostiæ oblatio propitiatio est: quod verò in pauperes collocatur beneficium, omnis bonæ retributionis argumentum est.
9. Atque hoc fine accensos Cereos purgandis Spiritibus prodesse Christianus.

Christianus homo dubitare non potest. Si enim *stipes* in pauperes erogata, prodest hisce Spiritibus, quando pro ipsorum incolumitate, à viuentibus erogatur; quidni iisdem prodesse *Cerei* ad Dei altissimi honorem atq; cultum accensi?

Orationem plurimum his defunctis Spiritibus prodesse, aliàs docuimus. At vel Oratio quædam sunt à Christianis accensi in defunctorum gratiam *Cerei*; vel certè non sunt sine Oratione, Proderant igitur ipsis. 10.

Omnino, quemadmodum Ieiunium, quod ad carnis afflictionem facit per se non defunctis, sed viuis prodest: prodest autem defunctis, si viui hoc ipsis prodesse per modum Suffragij velint: ita quæ à viuis accenduntur *Lumina* & *Cerei*, quamuis non per se: pro viuorum tamen voluntate atq; intentione, in defunctorum utilitatem atque emolumentum cedere possunt. 11.

Bonum à Christianis nullum suscipi potest, quod non, si velint, & peccatum nullum obstat, in proximorum & defunctorum possint conferre emolumentum. At Bonum quoddam est, ad Dei gloriam, diuiniq; nominis cultum *Cereos* accendere. Possunt igitur id, & non frustra ad defunctorum conferre subsidium atq; solatium. 12.

Ex dictis colligitur duobus modis purgandos Spiritus ex *Luminibus* & *Cereis* accensis fructum capere. Primo; si ad hunc finem ipsi, dum in viuis adhuc agerent, sumptus faciant, *Oleumq;*, *Ceram* atque *Lumina* procurent: Deinde, si hac ipsorum iam defunctorum nomine prætent alij. 13.

In hoc posteriori necesse est, vt qui defunctorum causa hæc faciunt, in gratia sint; nulliusq; mortalis criminis sibi consciij, si quidem Spiritibus ipsa velint proficere. In priori hoc necessarium non est. Eadè huius, quæ Eleemosynarum, quæ à diuersis conferri possunt, ratio. De qua capite 77. 14.

C A P. LXXXII.

In Missæ Sacrificio, præ reliquis, plurimum presidij adiuvandos pie defunctorum Spiritus possuisse Maiores.

Modes, quibus purgandi Spiritus à pœnis; & viuentes ab ipsorum molestia liberantur, explicauimus. Vnum dictis adiiciendum. Ostendendum, scilicet, præ reliquis principem 1.